



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VII. Carolus Craßus quasdam Ecclesias libertate canonica electionum in perpetuum donavit, exempli causa, Genevensem, & Cabilonensem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

res, sed inexplorata vita & rudes atque imperiti passim promovebantur, saltem in regno Gallicano Lotharj Imperatoris, qui omnia agebat pro arbitrio, ideo Concilium Valentinum anno DCCCLV. congregatum, quid agendum esset in his angustiis præscripsit canone septimo. Ac primum quidem constituit ut post obitum Episcopi statim à Principe peteretur ut canonicam electionem clero & populo permitteret. *Sed etsi à servitio p̄ Principis nostri, inquit, aliquis Clericorum venerit ut alicui civitati preponatur Episcopus, timore casto sollicitè examinetur, primum cujus vita sit, deinde cujus scientia. Et vigore ecclesiastico sub oculis omnipotentis Dei agat Metropolitanus in hac parte, Episcopis sicut Dei ministris adjutorium ferentibus, ne maculate vite, & pompis seculi turbidus, & simoniaca heresi pollutus, humilibus & mundis membris Christi Ecclesieque ipsius superponatur Episcopus, nec presumat illiteratum, & cupiditate nimia cecatum, redditurus facti sui rationem, populo Dei præficere.* Sanè in regno Caroli examen ordinandi mansit integrum penes Metropolitanos, ut diximus. Quod in regno Lotharj aliter se habebat. Ideoque Concilium hortatur Episcopos ut si rudis & improbatus ingeratur è palatio Episcopus, adeant Imperatorem cum clero & populo, ut Ecclesiam Dei gloriosus Imperator digno honoret ministro.

V. Quando intra consensus terminos Reges se continebant, Pontifices quoque Romani ejus rationem habendam docebant; ut patet ex epistola Ioannis octavi ad Aripertum Ebredumensem Episcopum anno DCCCLXXVII. Hic Valdenum, quem clerus & populus civitatis Venciensis elegerat, pieque memorie Imperator suo consensu firmaverat, noluit consecrare post mortem Imperatoris, sed alium absque Ecclesie consensu. Quare Ioannes Archiepiscopo & partibus præcipit ut Romam veniant pro tanti negotij discussione.

VI. Ceterum non adeo se demittebant Romani Pontifices in hoc electionum negotio quin aliquando sui loci memores essent. Cùm divisio ex gravi partium contentione exorta esset in Ecclesia Lausanensi, de Episcopi electione, Ioannes octavus severè interdicit Theodorico Archiepiscopo Bisuntinensi quatenus ibi Episcopum neque jussu Regis, neque ex petitu plebis, consecrare presumat, donec communi consulto quem utiliorem præviderint, consecrari permittant de more. Hieronymum huic Ecclesie Ioannes præfici voluit: sed, qui ab initio non intervenerat, Regis consensum à Carolo Crasso ipse Pontifex suppliciter petivit, testatus il-

lum Regi fidelem in omnibus propriumque esse, sicut ceteri regni Episcopi existunt.

VII. Attamen reticenda non est Caroli Crassi erga quasdam Ecclesias benigna propensio, quas libertate canonica electionum in perpetuum donavit. Hoc beneficium contulisse Ecclesie Genevensi scribit Ioannes VIII. epist. 281. Eidem Ecclesie electionem perenniter de proprio clero donaverat. Profert quoque vir clarissimus Sirmondus, tomo tertio Conciliorum Gallie, ejusdem Caroli Præceptum Cabilonensi Ecclesie indultum anno DCCCLXXXV. ut obeunte pastore proprio, omni deinceps tempore canonicam habeat electionem.

VIII. Temporis progressu non est imminuta potestas regia in electionibus, licet per bella domi forisque gesta valde debilitata fuerit in rebus civilibus sub Carolo Simplice. Ejus rei fidem facit Ioannis Papæ decimi epistola anno DCCCXXI. scripta ad Herimannum Coloniensem, quæ edita est tomo III. Conciliorum Gallie. Hilduinus Ecclesie Tungrensis episcopatum ab Henrico Rege Germaniæ, bellum adversus Carolum gerente, precibus & pretio impetravit; seque consecrari ab Herimanno Colonienfi vi metuque compulsio per Gislebertum obtinuit. Quod factum aperte contra jus Caroli; in cujus regno sita erat civitas Leodium, sive Legia, (utroque enim nomine dicitur à Ioanne) ubi erat sedes Ecclesie Tungrensis. Vacanti sedi præficiendum Carolus elegit Richerium Abbatem, adjuncto quoque cleri & populi consensu. Delata dissidij istius querela ad Ioannem decimum illique à Berengario Imperatore consanguineo Caroli commendata, præcipit Herimanno Ioannes ut Romam cum Hilduino & Richerio accedat ad definiendam hanc controversiam. Interim illum objurgat ob spretam Caroli auctoritatem. *Valde mirari non distulimus, inquit, cur contra rationem absque Regis iussione agere percontastis; cum vobis reminiscens hoc nullo modo esse debeat ut absque regali præceptione in qualibet parochia Episcopus sit consecratus.* Hujus antiqui moris originem à Romanorum Pontificum auctoritate profectam docens, usum illum in posterum observari jubet: *Vt prior antecessorum suorum Regum mos fuit, cum ita illibatam atque inconcussam dominationem obtinere delectamur. Et sicut priores suos antecessores, nostrorum antecessorum auctoritate, Episcopum per unamquamque parochiam ordinare probabiliter statutum est, ita ut Carolus Rex faciat confirmando jubemus.* In epistola ad Carolum ad priscam consuetudinem & regni dignitatem hoc refert: *De hoc quod*

*Fide Notæ De-
leg. ad Simplicij
Gallie Concilium
p. 34.*